

Pisis, equitum numerus augeretur: Jacoboque Tarsia, qui Ravennae erat, pecunia subministraretur ad milites in Faventinis finibus conscribendos mille, quibus cum Pisas accederet, cæteris quoque militibus, qui reipublicæ stipendium mererent, eo bello imperaturus. tum missi Pisas præfecti equitum cum sua quisque turma quatuor. Iis imperatis rebus, ac prope etiam confectis, Helvetii quadringenti, quos Ludovicus Pisas miserat, domum discesserunt, cum dicerent sibi stipendium non subministrari. Reliquæ deinde Ludovici copiae præfectique paucorum dierum spatio sigillatim abeuntes idem fecerunt, Lucio excepto, qui quidem consilia cæterorum cognoscendi, atque impediendi belli causa cum paucis equitibus remansit. ita, quod initio de communi sociorum sententia Ludovicus sumpserat, ut Pisas una cum reliquis tueretur, id privato consilio rejecit, furtim in medii fervore belli se se subtrahens. Sed antequam Helvetii & reliquæ Ludovici copiae discessissent, propterea quod multo plus oneris & vastitatis civitati, quam aut præsidii aut emolumenti afferebant, videbaturque id unum Lucio deliberatum esse, ut Pisanos conterendo & maleficiis everteret, civitas ad Patres misit, se se ulterius Ludovici auxilia perpeti sustinereque non posse: velle, ac decrevisse, uni Senatui se addicere, vexillaque reipublicæ subtollere: rogare ut eorum voluntate id sibi facere liceret. Patres Pisanis colaudatis, quod eo erga rempublicam studio, ea mente essent, aliud posse tempus accidere dixerunt, cum id & illi tuto facere, & ipsi eis permittere uti facerent, jure possent: nunc vero illud curarent, ut liberi per eorum fidem essent: qui pepigerunt se in eo suas partes omni diligentia præstaturus: bonoque animo eos esse jussos dimiserunt.

Naves interea reipublicæ longæ sex Neapoli in Liguriam atque in Galliam provinciam missæ, cum nihil earum rerum, quarum causa ierant, reperissent, conversæ ad eas naves Florentinorum insectandas, a quibus ne frumenta, ne ve reliqui commeatus supportari Pisas possent,

ma-